



Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Quibus subjuncta est epistola Constantini Imperatoris ad Probianum
Proconsulem Africæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

viratum egeris in patria tua, oportet fidem verbis
tuis habere. Apronianus dixit: Nec novum est il-
lis hoc facere. Ceterum & actis addiderunt quod vo-
luerunt. Iam artificium est illis. Aelianus Procon-
sul dixit: Ex professione Cæciliani, qui acta falsata
esse dicit atque epistolæ plurima addita, manife-
stum est qua voluntate hæc gesserit Ingentius. Et
ideo recipiatur in carcerem. Est enim arctiori in-
terrogationi necessarius. Felicem autem religiosum
Episcopum liberum esse ab exustione instrumento-
rum deiforum manifestum est, cum nemo in eum
aliquid probare potuerit quod religiosissimas scrip-
tuas tradiderit vel exusserit. Omnium enim inter-
rogatio suprascripta manifestata est, nullas scriptu-
ras deicas vel inventas, vel corruptas, vel incen-
tas fuisse. Hoc actis continetur, quod Felix Episco-
pus religiosus illis temporibus neque præsens fuerit,
neque conscientiam accommodaverit, neque tale
aliquid fieri jusserrit. Agesilaus dixit: De his qui
ad potestatem vestram instruendam venerunt quid
jubet potestas tua? Aelianus Proconsul dixit: Re-
vertantur ad sedes suas.

*Explicit gesta purgationis Felicis Episci-
pi An-
numitani ordinatoris Cæciliani Carthaginis.*

*CONSTANTINI IMPERATORIS
epistola ad Probianum Proconsulem
Africæ.*

Imperatores Cæsares Flavius Constantinus Ma-
ximus & Valerius Licinianus Licinius Probianus
Proconsuli Africæ. Aelianus prædecessor tuus, meri-
to, dum vir perfectissimus *Verus Vicarius Præfecto- * Verinus
rum tunc per Africam nostram incommoda valetudi-

neteneretur, ejusdem partibus functus, inter cetera
etiam id negotium vel invidiam, quæ de Cæciliiano
Episcopo Ecclesiæ catholicæ videtur esse commota,
ad examen suum atque iussionem credidit esse revo-
candum. Etenim cùm iam Superium * Centurionem,
& Cæcilianum magistratum Aptungitanorum, &
Saturninum Excuratorem, & Calibium juniores
eiusdem civitatis Curatorem, atque Solonem ser-
vum publicum superscriptæ civitatis præsentes
esse fecisset, audientiam præbuit competentem,
adeo ut cùm Cæciliiano fuisset objectum quòd à
Felice eidem episcopatus videretur esse delatus, cui
divinarum scripturarum proditio atque exustio vide-
retur objecta, innocentem de eo Felicem fuisse con-
stiterit. Denique cùm Maximus Ingentium Decu-
rionem Ziquensium civitatis epistolam Cæciliiani
Exduumviri falsasse contenderet, eundem ipsum
Ingentium suspensum actis, quæ suberant, perva-
dimus, & ideo minimè tortum quòd se Decurio-
nem Ziquensium civitatis asseveraverit. Vnde vo-
lamus ut eundem ipsum Ingentium sub idonea pro-
secutione ad comitatum meum Constantini Angusti
mittas, ut illis qui in præsentiarum agunt, atque
diuturnis diebus interpellare non desinunt, audi-
tibus & coram assidentibus apparere & intimari
possit frustra eos Cæciliiano Episcopo invidiam
comparare atque adversus eum violenter insurge-
re voluisse. Ita enim fiet ut omissis, sicut oportet,
ejusmodi contentionibus, populus sine dissensione
aliqua religioni propriæ cum debita veneratione
deserviat.

* Saturnianum

